

objecti sufficit quod objectum, et quidquid in illo est, sit proportionatum ipsi cognoscenti, distingo; sit proportionatum adæquate, et perfecte juxta modum rei cognoscendæ, concedo; inadæquate, et imperfecte, et juxta modum, et coarctationem, seu confusionem cognoscentis, nego. Et sic objectum superius, et species ejus inest connaturaliter Angelo inferiori juxta modum ipsius inferioris, non juxta modum superioris. Quod autem inest connaturaliter juxta modum recipientis, non sequitur quod totaliter comprehendat illud totalitate adæquationis, sed solum juxta modum suum, nisi talis modus superiori modo se habeat ad id quod naturaliter ei inest. Et licet connaturaliter ei conveniat; et sic non sit supra naturam ejus quantum ad convenientiam, et ordinem naturæ, nec quantum ad specificationem objecti, est tamen quantum ad modum, quia semper modus objecti est superior, et connaturaliter se habet ad tale subjectum, non quomodocumque, sed juxta modum capacitatemque illius: sicut lux connaturaliter recipitur in luminoso, et in diaphano, sed in diaphano juxta modum inferiorem, et non adæquate, nec ad modum quo est in luminoso.

XXVII. Ad probationem antecedentis dicitur, quod species Angeli superioris datur inferiori Angelo tamquam de objecto naturalis ordinis, et sibi proportionato, et ad suam sphaeram pertinente, distingo; sibi proportionato, et ad se pertinente juxta modum suum, concedo; juxta modum, et adæquationem ad ipsum Angelum superiorem, nego; et sic semper manet extra comprehensionem illius, quantum est ex vi propriæ virtutis, nisi superioris illuminatione intercedat. Et cum dicitur quod Angelus inferior est intellec-

tus perfectus, et non procedit de potentia ad actum, distingo; est perfectus juxta modum suum inferiorem, et confusorem respectu superioris concedo; ultra modum suum, nego. Neque ex hoc sequitur discursus in Angelo; quia non quælibet imperfectio, et habere se in potentia ad aliquod intelligibile fundat discursum, sed habere se in potentia, non unico intuitu actuabili, sed per circuitum, et pluralitatem illationis. Nam inferiores Angeli sunt illuminabiles a superioribus, illuminantur autem respectu eorum ad quæ sunt in potentia, et actu, non cognoscunt, vel non perfecte; nec tamen propterea discurrunt, etiam quando illuminantur; nec enim sunt in ignorantia privativa, id est, respectu eorum quorum cognitio sibi debetur, et quam possunt per collationem acquirere, sed sunt in ignorantia negativa, seu nescientia quæ simplici illuminatione tollitur. Non ergo quælibet potentialitas ad intelligendum sufficit ad discursum, sed aliqua sufficit ad illuminationem sine discursu, scilicet quando est in potentia ad cognoscendum per illuminationem simplicem, et unico intuitu faciendam: tunc enim etsi actuatur, et perficitur a superiori per illuminationem, sed non discurret, quia non per collationem et illuminationem actuatur. Et cum dicitur quod Angelus superior, et omnes ejus perfectiones sunt proportionatum objectum inferioris, utpote ad ordinem naturalem pertinentes, jam dictum est, quod sunt objectum proportionatum, applicatum tamen juxta modum inferioris, non superioris. Atque ita aliud est esse objectum proportionatum quoad specificationem, quia scilicet intra sphaeram specificationis ejus sunt; aliud quoad adæquationem et perfectionem qua discernitur, et adæ-

quate penetrat, et videt omnia illa, sicut omnes colores, et lux sunt objectum proportionatum, id est, specificativum visus, sed tamen non quilibet visus potest æque discernere, et adæquare se cuicumque luci, et cuicumque colori, sed juxta modum, et capacitatem suam, licet totum quod in illa luce, et colore est, visibile sit, et proportionatum sit specificative, non semper adæquate, et comprehensive. Sic omnia quæ in Angelo superiora sunt, naturalis ordinis sunt, proportionata sunt Angelo inferiori proportionem adæquationis, et perfectionis in discernendo se juxta modum, et capacitatem inferioris.

ARTICULUS II.

Quomodo Angelus futura, et præterita cognoscat.

I. Præcipuus difficultatis punctus non est de re ipsa, cum constans sit Angelum vi sua non cognoscere futura contingentia certo, et determinate, nec alia quæcumque futura in seipsis immediate: sed difficultas est in reddendo rationem cur ista futura non possit cognoscere, cum non careat speciebus repræsentantibus illa; quando enim præsentia redduntur, certum est cognosci ab Angelo, non jam ut futura, sed ut præsentia, et tunc non infunduntur illi species de novo, si quidem non accipit species pro singulis individuis, quæ fiunt, sed utitur speciebus universalibus, quas utique a principio habet: et istæ in sua repræsentatione non dependent ab ipsis rebus, nec ab illis accipiunt perfectionem aliquam, vel immutationem quando res fiunt. Quomodo ergo de novo repræsentant illa, cum in se de novo non immu-

tentur? Hæc est difficultas de futuris, et eadem fere est de præteritis, quando Angelus non advertit, sed transeunt aliqua, seu fiunt eo non advertente, quare non possit Angelus cognoscere illa præterita in vi speciei, quæ repræsentat illa? Et ex hoc etiam discussa manebit difficultas quomodo Angelus per speciem suam universalem, individua repræsentet, et quomodo ab eorum dependeat existentia, ut determinate hoc vel illud singulare repræsentet.

SUPPONUNTUR CERTA.

Tria sunt certa, et supponenda in hac parte.

II. Primum est, tria esse genera futurorum. Primum est, eorum quæ necessario eventura sunt, nec possunt impediri, sicut solem cras oriri, eclipsim futuram esse. Secundum est, eorum, quæ ut plurimum eveniunt per causas quidem naturales, sed impedibiles, ita tamen ordinatas, ut raro impediuntur, sicut quod in vere sint tonitrua, et in hieme pluviam. Tertium est, eorum, quæ omnino contingenter eveniunt, vel quia habent causas liberas, vel quia habent fortuitas, et in utramque partem contingentes, sicut quod Petrus cras ambulet, vel quod canis latret, aut quod seges comburatur a fulmine. Solum autem est duplex modus cognoscendi ista futura, scilicet vel quia cognoscuntur in seipsis, secundum quod habent existentiam extra causas, vel cognoscuntur in alio, id est, in virtute causarum a quibus procedet talis existentia, et in quibus continentur.

III. Loquendo ergo de cognitione futurorum in seipsis, id est, prout extra causas, nullo modo ab Angelis possunt cognosci, neque futura necessaria, neque contingentia. Et ne

accidat æquivocatio in illo termino in seipsis, oportet distinguere de cognitione rerum in seipsis quoad quidditatem, seu quoad quid est, vel secundum durationem, et quoad an est, seu quoad existentiam, ratione cuius ponuntur extra causas, et exeunt ab illis. Quando ergo dicimus futura non cognosci in seipsis, non loquimur de quidditate futuri: sic enim non tamquam futurum, sed tamquam quidditas quædam quasi in abstracto, et in esse possibili attingitur. Loquimur ergo de futuris in seipsis ex parte durationis, et quoad existentiam. Hæc enim pertinent ad futuritionem: nam futuritio durationem designat nondum præsentem, non autem quidditatem ipsam præcise. Res ergo futura antequam de facto exeat a sua causa, solum est intra ipsam, alias si esset extra, jam non esset futura, sed præsens respectu illius mensuræ in qua esset extra causas: Angelus ergo non potest futura cognoscere in seipsis quantum ad existentiam, et durationem, quia non potest duratio futurorum cognosci ab Angelo nisi prout subest successioni temporis, quæ est propria mensura futuri, non autem prout subest altiori, et eminentiori mensuræ in qua contineatur in seipso, et extra causas sine ulla successione, et mutatione, quia nulla mensura creata est, in qua res contineatur omnino indivisibiliter, et immutabiliter; sola autem æternitas est omnino immutabilis, et est causa ipsius temporis, et eorum quæ in tempore accidunt sine ulla potentialitate aut variatione ex parte ipsius mensurantis, et sic potest illa omnia indivisibiliter in actu, et immutabiliter continere, et mensurare. Reliquæ omnes mensuræ creatæ non possunt continere successiones temporum per causalitatem actualem in illa, et per omnimodam immutabi-

litatem, sicut æternitas, sed solum per extrinsecam coexistentiam. Cum autem tempus futurum in quo res futura erit existens, in seipso non sit actu, sed solum in potentia, quia est pars motus per successionem, et evolutionem temporis ventura, et successura, non in se existens, non potest cognosci illud futurum, neque ejus mensura in qua existet, nisi prout est in potentia, et successione, et intra ordinem causatum. Nunquam ergo potest attingi in seipso quamdiu consideratur ut futurum, quia futurum est idem quod successurum, et successurum est idem, quod ex potentia reducendum in actum.

IV. Quod si dicas: Quia veritas ipsa futuri contingentis ex se est determinate vera secundum alteram partem contradictionis, quia utraque pars non potest esse simul determinate vera, et falsa: ergo altera est determinate vera, altera determinate falsa; et quando in re fit præsens tale futurum, secundum determinatam veritatem ponitur: ergo qui illud diceret antequam fiat, determinatam veritatem diceret.

Respondetur negando antecedens, si loquamur de determinatione futuri ex propriis prædicatis, aut ex causis proximis et creatis, ut late a nobis probatum est præcedenti tomo, disp. XIX et XX, illa enim futura carent omni principio determinativo, tam in se, quam in causis, quamdiu futurum contingens est, cum ipsa contingentia intrinsece importet indeterminationem: hoc enim est de conceptu essentiali contingentis, quod sit ad utrumque: ergo repugnat dicere, quod sit contingens illa veritas in ratione veritatis futuræ, et tamen sit determinata, vel in seipsa, vel in causis proximis (excipio decretum divinum, et æternitatem Dei) cum po-

tius ab illis participet in determinationem, et contingentiam. Ratio autem contradictionis non petit quod una pars determinate sit vera, sed solum quod si una pars est vera, altera sit falsa, non tamen quod ista præ alia sit determinate vera, quia contradictio non determinat partes contradictoriarum, earumque veritates, sed solum enuntiat oppositum ejus quod altera dicit, quod omnino extrinsecum est veritati, sicut et entitati rei, ut possit eam determinare.

V. Secundo est certum, futura necessaria cognosci ab Angelo certo, et evidenter abstractivè, id est, in sua causa, non intuitive in seipsis. Futura vero quæ ut in plurimum eveniunt, cognosci in sua causa proxima conjecturaliter, non evidenter. Constat hoc, quia futura necessaria habent causas necessarias, et inevitabiles, non solum suæ quidditatis, sed etiam suæ futuritionis, et existentis: ergo ex vi talis connexionis sunt certo cognoscibilia, si quidem certitudo, et evidentia fundatur in cognitione certa, et immutabili: ergo quæ cognoscuntur ex vi talis connexionis, cognoscuntur certo, et evidenter, non quidem evidentia intuitiva, quia non est de re in seipsa, sed evidentia abstractiva quæ est de re in sua causa. Futura vero secundi generis dicuntur a D. Thoma in hac quæstione LVII, non cognosci per certitudinem ab Angelo, sed conjecturaliter. Quod intelligendum est in sensu formali, id est, quod talia futura in quantum subsunt causæ, vel causis proximis, quæ sunt impedibiles, non possunt certo cognosci ab Angelo, sed conjecturaliter, quia per medium fallibile, et contingens attinguntur; et sic sub formalitate talis medii non possunt cognosci certo, et evidenter. Si vero consideretur ille effectus respectu collectionis omnium

causarum naturalium, fortasse non manet contingens, neque casualis, et per accidens, sed omnino certus, quia impedibilis. Neque in hoc oportet laborare, sicut aliqui conantur ostendere hujusmodi contingentia nunquam certo cognosci posse ab Angelo, quia semper contingentia sunt; et quia sunt effectus per accidens, quia ad nullam causam per se reduci possunt: ergo nunquam inducunt infallibilem connexionem, neque fundant scientiam certam, præsertim, quia causæ quæ possunt impedire effectum sunt infinitæ, comprehendique non possunt, præsertim si ab ipsis Angelis, vel hominibus impedimenta ponantur. Cæterum in hoc non oportet immorari, quia semper loquendum est in sensu formali, quod futura ista impedibilia ex vi causarum impedibilium, in quibus proxime continentur, non possunt certo sciri, quia sub medio contingenti, et fallibili continentur. Si tamen excedunt istam contingentiam, et fallibilitatem, et reducuntur ad aliquam necessariam connexionem respectu collectionis omnium causarum, tunc ex vi talis connexionis poterunt certo sciri ab Angelo. Non reducuntur autem ad necessariam connexionem, si inter illas causas interveniat aliqua causa libera, quia hæc per nullam collectionem causarum potest necessitari, et de contingentia removeri, quia libera est; respectu vero causarum cœlestium, si aliqui effectus manent pure per accidens, et ad causam per se nullo modo reduci possunt, ut sentit S. Thomas q. XVI, de malo, art. VII ad XVI, et I p. q. CXV, art. VI. Tunc non manebit talis effectus extra contingentiam, et sub necessitate aliqua possit cognosci certo, et per se ex vi illarum causarum. Si vero aliqui effectus sint qui respectu totius collectionis cau-

sarum maneant determinati per se ac necessarii, tales certe ab Angelo possunt cognosci per cognitionem omnium illarum causarum naturalium, seu collectionis earum; et sic alicui effectus qui respectu alicujus causæ proximæ dicuntur contingentes et per accidens respectu aliarum causarum, seu collectionis omnium causarum (quæ infinitæ non sunt, cum omnes causæ creatæ de facto, finito numero comprehendantur) necessarii, et determinati sunt; et Angelus qui omnes causas naturales hujus universi comprehendit, poterit certo cognoscere tales effectus; quæ est expressa doctrina S. Thomæ, q. viii de verit. art. xii, ubi inquit: « Aliquid est contingens respectu unius causæ, quod respectu concursus plurium causarum est necessarium: Angeli autem omnes causas naturales cognoscunt: unde quædam quæ contingunt videntur, aliquibus causis eorum pensatis, Angeli ut necessaria cognoscunt, dum omnes causas eorum cognoscunt. » Ita D. Thomas.

VI. Tertio denique est certum, futura contingentia non posse certo cognosci ab Angelo, licet difficile sit reddere rationem cur excludantur a cognitione Angelorum. Constat hoc, quia futura certo scire, ponitur in Scriptura tamquam signum certissimum divinitatis, Isai. xli: *Annuntiate nobis quæ ventura sunt, et dicemus, quia dii estis vos*: et c. xlvi: *Nec est similis mei annuntians ab exordio novissima, et ab initio quæ nondum facta sunt*: et Danielis secundo, ex hoc collegit Nabuchodonosor Deum Danielis verum Deum esse, quia potuit revelare mysterium illud, et somnium de talibus rebus, id est, de futuris: *Loquens ergo rex, inquit, ait Danieli: Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria,*

quia tu potuisti aperire hoc sacramentum. Videndus est Hieronymus super hunc ipsum locum Danielis, id est, super caput secundum, ubi dicit quod: « Confitentur magi, et omnis scientia sæcularis litteraturæ, præsentiam futurorum non esse hominum, sed Dei: » Chrysostomus homil. xviii, in Joannem: « Certa futurorum prædictio, immortalis Dei solius opus est: » Isidorus lib. de summo bono, c. x: « Futura Angeli nisi revelatione divina cognoscere non possunt. » Sumitur etiam ex Damasceno lib. ii fidei, c. xxix; Augustino iv de Trinitate, c. xvii; Basilio lib. de Spiritu sancto, c. xvi, circa medium; D. Thoma in hac quæstione lvii, art. iii, et 2-2, qu. xcix, art. i et iii, contra gentil. c. cliv, et qu. viii de verit. art. xii, in i, dist. xxxviii, art. v, et in ii, dist. vii, q. ii, art. ii, et alibi sæpe, communiterque omnes theologi sequuntur. Denique, id quo maxime homines alicui decepti a dæmonibus sunt, ut colerentur tamquam dii, fuit ex prædictione futurorum, saltem ambigua, cum ipsi maxime laborarent, ut dii haberentur, conando prædicere futura, et oracula reddendo circa talium prædictionem.

IN QUO SIT DIFFICULTAS, EJUSQUE RESOLUTIO.

VII. Difficultas ergo tota reducit ad hoc ut explicemus quæ sit ratio, quare ista futura excluduntur a cognitione Angelorum, cum certum sit habere illorum species, etiam antequam fiant, quia quando accidunt, et redduntur præsentia, non infunduntur species de novo pro cognoscendis illis individuis ut supra ponderatum est: posita enim specie, et intellectu expedito, ponuntur sufficientia principia ad intelligendum objectum: cur ergo ta-

lium futurorum cognitio excludi debet ab Angelo, si eorum species non excluduntur? Et præterea quia veritas illorum futurorum etiam determinate sumpta est aliquid creatum: ergo alicui lumini creato proportionata, et debita: cur ergo non erit Angelo?

Ad hoc varii sunt modi respondendi, qui reducuntur ad tres.

Primus, quod aliqua mutatio intrinseca fit in specie, saltem quantum ad aliquem modum, quo mutatur ejus representatio, ut respiciat objectum sub ratione præsentis, quæ antea respiciebat illud sub esse possibili, vel futuro. Sed hic modus habet difficultatem, quia talis mutatio intrinseca, dissolvit speciem, seu corrumpit, quia si intrinsece mutatur, non manet intrinsece eadem quæ antea, præsertim cum illa representatio non sit accidentalis, et superveniens speciei, sed essentialiter, et quidditative ei conveniens. Unde si remanet aliqua species, corrupta illa priori, debet esse de novo infusa. Et sic perinde est dicere, quod mutatur intrinsece species, vel quod infunditur de novo alia. Deinde, restat videre a qua causa efficienter fit illa mutatio in specie: nec enim fit ab objecto ipso de novo producto, neque ab Angelo habente talem speciem, neque a Deo. Non ab objecto, quia improporcionatum est ut emittat species in intellectum Angeli, vel in illum agat, cum Angelus per species infusas intelligat, non per emissas ab objecto: ergo neque potest tale objectum immutare infusas, et præ-existentes in mente Angeli: si enim emittere non potest species, quanto minus poterit infusas mutare, præsertim si objectum sit corporeum, et a longe distans, quod non potest operari in mentem Angeli, speciemque effective immutare; quia species spiritualis est, objectum autem

corporeum, et similiter medium. Neque fit immutatio ab ipsomet Angelo, quia Angelus intra suum intellectum non operatur immutando, sed cognoscendo, cum non operetur aliud quam cognitionem: non potest autem cognitionem elicere circa talem speciem, seu objectum ejus, nisi per ipsam speciem: ergo prius est speciem esse habilem ut illa utatur intellectus, quam ut cognitionem eliciat: ergo priusquam eliciat cognitionem circa tale objectum futurum quando redditur præsens, debet supponi species immutata, et perfecta, ut tale objectum representet: ergo non per ipsam cognitionem immutatur, et perficitur, et consequenter neque per ipsum intellectum, qui aliam operationem non habet, quam cognitionem: nec enim datur in Angelo intellectus agens, qui species producat, aut immutet, non cognoscendo, et casu quo daretur, ille non serviret pro speciebus infusis, sed pro acquisitis, et factis a se. Et eadem ratione non potest immutari ab alio Angelo, tum quia alius Angelus non operatur intra mentem alterius, nec illi illabitur ad immutandum lumen ejus, seu virtutem aut speciem; tum quia solum potest illuminare alterum Angelum per propositionem externam objecti, ut infra disp. xxv dicitur. Si autem Angelus illuminans proponit futurum illud quando de novo producit, et fit præsens: ergo jam cognoscit illud, et de ipso erit difficultas, quomodo cognoscat, et per quam speciem, et quomodo species illa immutetur, ut representet de novo illud singulare.

VIII. Denique, si dicatur, a Deo immutari representationem illius speciei, ut de novo representet ali-quod singulare, non quidem per externam illuminationem tantum, quia hæc non immutat intrinsece